

302

300

306

296

311

291

351

251

401

201

Ende

Anfang

291  
quia cibus etiam sumtus non poterat in subverso stomacho manere.  
Sole autem occidente et tenebris ingruentibus invaluit ventus ni-  
mius et mare saeviens fremuit et intemperatae aquarum inunda-  
tiones in tristem nos exspectationem (b) omni momento rapiebant. In  
superioribus galeae nihil erat, quod non in aqua staret aut nataret,  
unde domini omnes de castello et de superioribus galeae confu-  
gerunt ad infima, quia procellae elevabantur supra galeam et sine  
mensura decidebant aquae in eam. Erant autem galeotae XVIII  
febricitantes, infirmi in Alexandria facti, qui nec supra nec infra  
sua transtra manere poterant, nec licuit eis sine licentia in carinam  
descendere. Hi stabant ad os carinae lamentabiliter precantes  
intromitti, ne frigore morerentur. Post multas preces obtinuerunt a  
dominis et descendantibus angustam carinam fecerunt eamque foe-  
tore repleverunt. Invaluit autem tempestas et tanta erat navis  
agitatio, quod stare nemo poterat nec sedere nisi cum adhaerentia  
alicujus rei stabilis et firmae. Accurrentes autem aquae influebant  
usque ad cumbas et cubilia nostra, et per insuspectas rimas de-  
stillabant usque ad nos; adeo autem dure et impetuose repercutie-  
batur navis ab accurrentibus aquis, ac si grandia saxa de monte  
submitterentur in galeae latera currere, ex quo tantos fragores naves  
dabant continue, ut viderentur dissolvi in omnibus nexibus et junc-  
turis suis. Ad illos autem terribiles fragores perterriti continuo  
clamavimus, ac si jam rupta navi involvendi undis essemus, sphae-  
ricos enim bombardarum lapides in prora jacentes saevissima haec  
tempestas elevavit ac usque in medium galeae contra malum jac-  
tavit, plures etiam ad mare projecit. Interea amore et timore  
affecti plurimum fuimus, vertiginem et evomitionem omnes patie-  
bamur, infirmi pejus habebant et sani aegri fiebant, et duravit  
tempestas illa tota nocte, in qua duo galeotae mortui sunt et  
nudi in mare projecti belluis devorandi, siquidem hoc mare Car-  
pathicum bellus ferocissimas generat, phocas et felchos, quorum  
pastor fingitur fuisse Proteus, ex eo, quia antiquitus rex ad littora  
hujus maris fuit. Sunt autem phocae boves marinae, animalia  
fortissima, animosa et iracunda non tantum ad alia animalia, sed  
etiam ad sua domestica, semper enim vir cum muliere pugnat  
nec placatur, donec eam interficiat, et ejecta illa aliam ducit, cum  
qua novum proelium implacabilis inimicitiae incipit, et ita semper  
aut victus aut victor moritur. Felchi autem sunt vituli marini.